



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

acceptus de purgatione Canonica, reprobavit tanquam temerarium, iuramentum cuiusdam Archiepiscopi Bizuntini, qui juraverat se esse inimicum a quibusdam criminibus, de quibus infamabatur, qui praeſumebat uti æquivocatione, & intelligere talia crimina esse per penitentiam expiata, & sibi à Deo remissa.

Probatur tertio: Constat viros sanctissimos de sua salute multum formidasse, cum tamen propter præclara charitatis opera, quæ toto vitæ suæ tempore exercuerant, multum de Dei gratia debuissent confidere; præsertim si istud, ut contendit Vega, secundum legem ordinariam in quibusdam contingeret: Ergo non datur, etiam in viris sanctis, talem de lege ordinariam, certitudo moralis de sua iustitia, omnem excludens formidinem. Consequentia pater. Antecedens probatur. Hilarion enim, ex Hieronymo in ejus vita; Agatho, & Stephanus, ex Climaco in scala paradisi, licet plurima in vita miracula edidissent, tamen in instanti mortis de statu animæ suæ valde dubitarunt. Unde ipse Hilarion vehementi timore tunc percussus, coactus fuit animæ suæ dicere: *Septuaginta annis servasti Domino, & mortem times? Quæ verba manifeste indicant tunc in eo intercessisse luctamentum timoris, ob rigorem iudiciorum divinorum, & spei, propter obsequium septuaginta annorum, Deo præstitum: Quare verè dixit Augustinus apud Possidium in ejus vita, Neminem, nisi nullius sceleris sibi conscius sit, permittere debere, ut ex hac vita sine penitentia sacramento discedat.*

Denique suadetur conclusio: Licet homo possit habere aliqua signa seu indicia de sua iustitia & sanctitate, ut dicemus conclusione sequente, tamen non sunt ita certa, ut omnem formidinem possint excludere; quia interdum his similia possunt oriri ex puris naturalibus. At certitudo moralis quæ credimus Romanam esse, omnem excludit dubitationem & formidinem; quia innitur testimonio infinitæ fere multitudinis hominum, diversorum locorum, temporum, ac ætatum, qui de re visâ testificantur, & qui propter diversitatem attestantium non potuerunt convenire ad confingendum mendacium: Ergo non est possibilis, secluso privilegio, certitudo moralis propriæ iustitiæ, similis ei quæ assentimur huic propositioni, *Roma est. Dixi, secluso privilegio, nam quemadmodum privilegio potuit alicui concedi certitudo fidei de sua iustitia, sic etiam puto signis & effectibus specialibus gratiæ, atque extraordinariis Dei beneficiis, concessam fuisse certitudinem de illa, ab omni dubio alienam multis ex illustribus Sanctis, ut Martino, Benedicto, Bernardo, & alijs.*

Dico secundo: Homo iustus potest habere probabilem & conjecturalem de sua gratia & iustitia cognitionem, seu certitudinem. Ita D. Thomas hic ait: ubi postquam probavit quod gratia cognosci possit per revelationem, non per demonstrationem, quia ejus principium per quod demonstrari potest, est Deus, qui in hac vita est nobis ignotus prout scilicet est gratiæ author, subdit: Tertio modo cognoscitur aliquid conjecturaliter per signa; & hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, in quantum scilicet percipit se delectari in Deo, & contemnere res mundanas; & in quantum homo non est conscius sibi alicujus peccati mortalis: secundum quem modum potest intelligi quod habetur Apocal. 2. Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit nisi qui accipit, qui scilicet ille qui

Tem. 17.

accipit gratiam, per quandam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille, qui non accipit. Ubi S. Doctor allentit ad expositionem D. Bernardi in libro de Conversat. Clericorum, dicentis manna illud esse sapientiam & suavitatem Domini, quæ non eruditio, sed unctio docet: nec scientia, sed conscientia comprehendit. Ubi etiam cap. 6. assignat tria signa seu indicia; ex quibus sumitur urgentissima conjectura præsentis gratiæ in anima, nimirum devotionis affectum erga Deum, contemptum rerum temporalium, animum nihil præter Deum, aut nihil propter Deum amantem. Et scilicet 1. & 2. in festo Pasche alia tria recenset: nam ibi expendens verba illa 1. Joan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, subdit: Testimonia verò gratiæ sunt hæc tria, in operibus spiritualibus exerceri (operationes enim vitales spirituales sunt signa vitæ spiritualis, sicut corporales corporalis). Lachrymarum fonte fordes peccatorum ablueri, & sanguinolento penitentia martyrio prævari affectiones perimere. His addit S. Thomas aviditatem audiendi verbum Dei: qui enim ex Deo est, verba Dei audit, ut dicitur Joan. 8. De quo plura diximus in Tractatu de prædest. disp. 4. digressionem 1. quæ est de signis redestinationis.

Potest etiam suaderi conclusio hac probabiliter ratione. Suavi divina providentiæ dispositioni congruit, ut quemadmodum non oportuit quod homo perfectam haberet suæ iustitiæ securitatem, quæ omnem halitationem amoveret, ut cum timore ac tremore nostram operaremur salutem, & semper humiles & subiecti essemus; ita conveniens fuit, ut iusti haberent quandam probabilem & conjecturalem cognitionem, seu certitudinem de sua gratia & iustitia, ne perpetuâ anxietate cruciarentur, sed inter metum & spem suæ salutis, veluti inter duos clerôs, seu terminos, extra quos in hac vita egredi non licet, ambulant.

S. II.

Salvuntur objectiones.

Obijcies primò cum Vega: Si fideles non haberent certitudinem moralem omnino infallibilem, se esse in gratia, non possent Sacerdotes sine temeritate sacramentum Eucharistiæ, & alia sacramenta vivorum eis ministrare; nec ipsi fideles ea recipere; quia possent dubitare, an essent in statu gratiæ, & per consequens an essent sufficienter dispositi ad ea recipienda. Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

Respondeo negando sequelam Majoris. Ad cuius probationem dico duplex à Theologis distinguî dubium, unum speculativum, quando de re aliqua in se dubitamus; alterum verò practicum, quando dubitamus de ejus præxi seu exercitio, an scilicet eam exercere debeamus: inter quæ dubia illud est discrimin, quod dubium speculativum non impedit quominus tunc possimus operari; practicum verò illud impedit, cum per illud de opere exercendo dubitemus. Hinc fit ut licet sacerdos speculative dubitet, an aliquis sit in statu gratiæ, si tamen probabilem de hoc habeat conjecturam, potest ipsi licite ministrare Eucharistiæ, & alia sacramenta vivorum, quæ gratiam in suscipiente requirunt; quia per talem probabilem conjecturam fit practice certus de bonitate talis operis. Idemque dicendum est de

R

fide.

fideliſibus laicis, qui licet ſpeculatiue de ſua juſti-
tia dubitent, non tamen dubitant practice, un-
de ad Euchariftiam, propter hanc conjectura-
lem certitudinem, poſſint accedere. Sicut et-
iam licet ſpeculatiue dubitare poſſimus, an ali-
qua hoſtia ſit conſecrata, quia poſſumus revo-
care in dubium, an conſecrans ſit ſacerdos, an
debitam habeat intentionem, an panis ſit
triticeus &c. nihilominus quia probabiles de
oppoſito habemus conjecturas, quando illa à ſa-
cerdote adoranda proponitur, tam poſſumus ac-
tenemur adorare, quia per tales conjecturas ſu-
mus practice certi hoc eſſe licitum & ſanctum.

Objicies ſecundo: Poſſet quis eſſe certus cer-
titudine infallibili de ſua fide & ſpe: Ergo & de
ſua gratia & charitate. Conſequentia videtur
legitima: idcirco enim non poſſet quis eſſe cer-
tus de ſua gratia & charitate, quia gratia & cha-
ritas, & actus ipſarum, ſunt quid ſupernaturale:
Sed non minus eſt ſupernaturalis fides aut ſpes:
Ergo ſi hoc non obſtante poſſit homo de illis
habere certitudinem infallibilem, poterit etiam
eſſe certus certitudine infallibili de ſua gratia
& charitate.

Reſpondet Suarez lib. 9. de gratia cap. 12.
num. 12. negando Antecedens: exiſtimat enim
non majorem dari certitudinem in homine de
ſua fide, quam de gratia. Sed D. Thomas hic
art. 5. ad 2. docet oppoſitum, ait enim: *De ra-
tione ſcientia eſt quod homo certitudinem habeat de
his quorum habet ſcientiam, & ſimiliter de ratione
fidei eſt quod homo ſit certus de his quorum habet fidem:
& hoc ideo quia certitudo pertinet ad perfectionem
intellectus, in quo prædicta dona exiſtunt, & ideo qui-
cunque habet ſcientiam & fidem, certus eſt ſe habere,
quo verò loquatur de certitudine infallibili,
patet, quia verbis illis concedit certitudinem
reſpectu fidei, quam deſegat reſpectu gratiæ:
Atqui de gratia non negavit certitudinem con-
jecturalem, ſed tantum infallibilem, ut conſtat*

A ex verbis ſuprà relatis: Ergo iſtam concedit re-
ſpectu fidei.

Melius ergo reſponderetur, conſeſſo Antece-
dente, negando conſequentiam, & paritatem:
duplex enim reperitur ratio diſcriminis. Prima
eſt, quia fides eſt habitus certus, exiſtens in in-
tellectu, qui eſt potentia quæ perfecte reflectitur
ſuprà ſeipſam: omnis autem forma informans
aliquod ſubjectum, tribuit ipſi ſuum effectum
formalem; unde fides informans intellectum,
primò tribuit ipſi certitudinem infallibilem de
ſuo objecto; ſecundariò verò, & per reflexio-
nem, tribuit etiam certitudinem infallibilem de
ſeipſa. Hoc autem non poſſet competere volun-
tati reſpectu charitatis: tum quia voluntas non
eſt cognoscitiva: tum etiam quia charitas non
habet pro objecto formali certitudinem, ſicut
fides. Et quamvis ſpes ſit in voluntate, nihilomi-
nus poſſet homo eſſe certus de ſua ſpe, propter
infallibilem connexionem ſpei cum fide: nam
ſpes nunquam ſeparatur à fide, niſi in eo qui in
actum deſperationis prorumpit; poſſet autem
homo eſſe certus, ſe nunquam in talem actum
protuſiſſe, & ſic cum ſit certus ſe habere fi-
dem, arguitivè etiam certus eſſe poſſet ſe habere
ſpem.

C Secunda ratio diſparitatis eſt, quia fides habet
certam & infallibilem regulam extrinſecam,
quam certò & infallibiliter poſſumus & debe-
mus cognoscere, ſcilicet propoſitionem Eccle-
ſiæ: quamvis enim ratio formalis fidei, ſive mo-
tivum aſſentiendi per fidem, ſit ſola revelatio
divina, quæ ſupernaturalis eſt; nihilominus quo-
ad nos, motivum, ſive potiùs applicatio, eſt ipſa
authoritas Eccleſiæ, proponentis nobis aliquid
tanquam certò revelatum; & ideo cum ſumus
certi per fidem, Eccleſiam in qua modò ſumus,
eſſe veram & legitimam, ſumus etiam certi, nos
aſſentientes his quæ proponit ut revelata à Deo,
habere fidem de illis.

